



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

An Deus sit immutabilis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

si Deus componitur ex genere vniuoco, & differentia propria Deitatis, poterit verè & propriè definiri: cum ad veram & propriam definitionem nil aliud requiratur, quàm genus, quo res definità vniuocè conueniat cum alijs, & differentia, quā discrepet ab alijs.

40. Ad fundamentum primæ sententiæ, negandum est antecedens: Non enim prædicamenta secundum omnem proprietatem, & rationes, quas includunt, dici possunt de Deo: includunt enim potentialitatem & limitationem ad certam perfectionem, cum exclusionem aliarum, secundum quam imperfectionem nequeunt de Deo dici, atque adeo, ut prædicamenta, nequeunt propriè de Deo enunciari, quia ut prædicamenta, tales imperfectiones essentialiter includunt, à quibus si præscindant, non erunt amplius prædicamenta, sed rationes propriæ Diuine, quæ ita sunt propriæ Dei, ut non conueniant creaturis. Atque hoc indicant Patres, cum dicunt, Deum non esse substantiam, sed supersubstantiam, ut loquitur Dionys. quem imitantur Damascen. libr. 1. fidei cap. 4. & reliqui Patres.

Dionysius.
Damascen.

41. Ad Confirmat. concedenda est maior, quando ea, quæ prædicantur de pluribus differentibus specie, vniuocè prædicantur; secus quando tantum analogicè prædicantur, cuiusmodi sunt omnia, quæ de Deo prædicantur, quæ non vniuocè, sed tantum analogicè conueniunt cum rebus prædicamentalibus.

Explican-
tur Patres.

42. Ad auctoritatem Patrum dico, eos tantum intendere discrimen afferre inter ea, quæ tantum metaphoricè & propriè de Deo dicuntur. Dicuntur autem propriè, & non metaphoricè, etiam si tantum analogicè, & non vniuocè dicantur. Nam etiam analogica conuenientia est propria conuenientia, quamuis imperfecta: accidens enim propriè con-

uenit cum substantia in analogia ratione entis, licet non perfectè & propter hanc analogiam conuenientiam interdum Patres ad differentiam Metaphoricæ prædicationis, affirmant res prædicamentales propriè de Deo dici. Ad loca Damasc. Ref. S. Tho. qu. 7. de potentia a. 3. ad primum, illum accipere genus & speciem non propriè, & in dialectico rigore, sed impropriè & similitudinariè.

S. Thomas.

43. Ex dictis deducitur 1. summam simplicitatem esse propriam Dei, cum nulla sit creatura, quæ aliquam compositionem ex assignatis non admittat.

44. Deducitur 2. Summæ simplicitati Diuinæ non ob stare pluralitatem personarum; cum illæ non conueniant ad componendum vnum neque inter se, neque cum natura.

45. Deducitur 3. Et si simplicitas de formali importet solam negationem compositionis, ac proinde, ut sic, nullam addat perfectionem: materialiter tamen, & de connotato supponere modum essendi cæteris paribus perfectiorem; quia, cæteris paribus, perfectius est habere totum suum esse in entitate simplici, quàm composità: tum quia quod esse est vnitius, eò est perfectius: tum, quia res simplex est totum quod est: non item res composita, quia res composita non est sua pars, nec vna pars compositi est alia. Iuxta hanc considerationem simplicitas in Deo summam arguit perfectionem, quia supponit modum essendi infinitè perfectum; supponit enim naturam, quæ sine ulla compositione, per summam vnitatem includat infinitas formalitates.

46. Sequitur, 4. simplicitatem esse perfectionem simpliciter simplicem: nam ex definitione perfectionis simpliciter simplicis, in quolibet ente melior est ipsa, quàm non ipsa, nec cum alijs æqualibus, aut maioribus perfectionibus pugnat.

DISPUTATIO VI.

De Immutabilitate Dei.

Henricus.

1.



VONIAM, ut rectè Henricus in summa art. 30. immutabilitatis causa est simplicitas: nam quod est summè simplex, nullam in se compositionem admittens, oportet ut ipsum sit immutabile; alioqui si posset aliquam mutationem subire, posset aliquam compositionem, quæ ex tali mutatione in subiecto recepta necessariò resultaret, in se ipso admittere: ideò post disputationem de Simplicitate, annectimus hanc de Immutabilitate.

SECTIO VNICA.

An DEVS sit immutabilis?

1. **R**ATIO dubitandi est triplex. Prima desumitur ex processionibus Diuinis: nam personæ Diuinæ transeunt à non esse productæ ad esse productum; ergo mutantur. Consequentia constat, quoniam prima mutatio rei est, transire à non esse ad esse. Antecedens prob. quia, ut Fides docet,

Verbum

Verbum & Spiritus sanctus realiter producuntur: quod autem realiter producit, necessariò transit à non esse sui, ad esse sui, quod vi productionis accipit. Confirm. quia in Patre est realis potentia productiva: ergo in Filio & Spiritu sancto est realis potentia passiva. Consequentia probatur, nam omnipotentia actiue correspondet passiva, mediante quâ terminus producendus est aptus terminare actionem producentis. Idem argumentum fieri potest de natura Divina, quæ à non esse relatio Filij & Spiritus sancti, transit ad esse relatum Filij & Spiritus sancti per realem productionem in se receptam.

2. SECUNDA ratio dubitandi ducitur ex actibus liberis Divinæ voluntatis hoc modo. Actus liberi Divinæ voluntatis sunt intrinsecæ perfectiones Dei: sed ij potuerunt non esse: ergo aliquid in Deo est, quod potuit non esse. Ergo Deus est mutabilis. Maior constat, nam Actus liberi sunt vitales actiones, quibus liberum agens ab intrinseco se determinat ad operandum, vel non operandum. Minor probatur, quia actus liberi pendunt ex libertate operantis.

3. TERTIA dubitandi ratio est: nam Deus in tempore ex non creante fit creator, ex non gubernante gubernator, ex non Domino Dominus: ergo mutatur. Consequentia probatur, quia nequit esse nova denominatio sine nova mutatione: ergo si Deus in tempore subit novam denominationem, quam ab æterno non habuit, debet in ipso fieri aliqua mutatio.

4. Antequam propositam veritatem ostendam, præsupponenda est natura propriæ mutationis, quæ est transitus ab aliqua privatione ad formam, vel à forma ad privationem intrinsecam mobili. Quæ duplex est, Physica, & moralis: hæc tantum cernitur in actibus liberis, quæ in nobis sine Physica mutatione, quæ de vno actu in alium mutatur, esse non potest: illa est duplex, altera substantialis, cuius terminus est substantia vel, totalis, ut in creatione, annihilatione, & transubstantiatione; vel partialis, ut in generatione & corruptione. Altera accidentalis, quæ dividitur iuxta varietatem accidentiū, ad quæ tēdit. His adnotatis,

5. DICO I. Deus est immutabilis quacunque mutatione Physica. Assertio nō solum est naturali discursu nota, quam docuit Arist. 8. Physic. ubi ostendit, Deum esse primum motorem immobilem: sed etiā supernaturali Fide certa, quam expressè definit Lateranense, ut refertur c. *Firmiter* de summa Trinit. & Fide Catholica: Et passim docent Scripturæ.

6. Difficultas est, ex quo attributo, tanquam ex causa & ratione proximā, hæc perfectio deducatur. Et quidem omnes conveniunt, illam remotè & mediātè deduci ex ratione essendi à se, ex qua, tanquam ex radice, omnes perfectiones Divinæ deducuntur. Verum ex qua immediātè & proximè deducatur, nō omnes conveniunt. Quatuor autem sunt rationes in Deo, ex quibus perfectio immutabilitatis, tanquam ex proximā radice videtur posse deduci. Prima est necessitas essendi: se-

cunda actus purus: tertia summa simplicitas: quarta infinitas simpliciter, quæ convertitur cum summa perfectione; quia quod est infinitum simpliciter, non modò includit omnem perfectionem possibilem, sed omnem modum essendi perfectionis possibilis.

7. Aliqui contendunt attributum immutabilitatis, tanquam ex causa adæquata & proxima, probari tantum ex necessitate essendi. Nam, hac tantum positā, & qualibet aliā ratione sublatā, ponitur immutabilitas: contra verò, omni aliā positā, & hac vñ tantum sublatā, tollitur immutabilitas: ergo iuxta regulam Aristotelis traditā in prædicamentis c. *de his quæ ad aliquid*, hæc est tantum proxima, & adæquata ratio immutabilitatis: Antecedens probatur, quoniam implicat, intelligere id, quod est absolutè necessarium, transire de nō esse ad esse, aut de esse ad non esse: eò quòd summa necessitas non permittit, ut non sit id, quod necesse est esse. Sed mutari nihil aliud est, quàm transire de non esse ad esse, vel de esse ad non esse. Igitur sola necessitate essendi in Deo positā, & omni aliā ratione sublatā, intelligitur immutabilitas. Contra verò ratio actus puri, ratio summæ simplicitatis, ratio infinitatis simpliciter, præcisā necessitate essendi, immutabilitatem non inferunt, sed in tantum illam inferunt, in quantum includunt ipsam necessitatem essendi, qua seclusa, illam non inferrent: ergo non ratione sui præcisè, sed ratione summæ necessitatis, quam includunt, talem perfectionem inferunt.

8. Alij contendunt, Ex sola infinitate simpliciter id posse proximè ostendi. quia quod est infinitum simpliciter, est omni ex parte perfectum, atque ad eò incapax accrementi, vel decrementi perfectionis: implicat enim concipere, vel infinito in tota latitudine entis possibilis addi, vel summè perfectio demi posse perfectionem ullam.

9. Ego verò cenfeo, non ex sola necessitate essendi, sed ex qualibet ratione ex assignatis optimè inferri, tanquam ex proximā & immediata radice, perfectionem immutabilitatis. Non enim repugnat, eandem perfectionem deduci posse ex pluribus, quarum singulæ sint sufficientes, nulla verò adæquata. Assertio hæc est Sancti Bonaventuræ in. 1. distinct. 8. part. 1. distinctionis artic. 2. qu. 1. S. Thom. loco præcitato qu. 1. Scoti q. 5. §. *huius exclusivæ*, Rich. art. 2. quæst. 1. Capreoli qu. 3. post 1. conclusion. Durandi qu. 3. Henrici in summa a. 30. & aliorum. Probatur primò auctoritate August. lib. 6. de Trin. c. 6. ubi, sicut ex compositione probat, omnem creaturam esse mutabilem; ita ex simplicitate probat, solum Deum esse immutabilem. *Nil enim*, inquit, *simplex mutabile est*.

10. Secundò, Probat ur ratione, & primò quòd ex actu puro, tanquam ex proximā radice, immediātè inferatur immutabilitas, sic ostendo, Actus purus ex sua formali & præcisā ratione negat omnem potentialitatem; ergo est immediata causa immutabilitatis. Antecedens claret ex ipso explicito conceptu a-

ctus pu-

Aristoteles.

Bonavent.
S. Thomas.
Scotus.
Richardus.
Capreolus.
Durandus.
Henricus.
August.

Aristoteles.

Concilium
Lateran.

actus puri, qui consummatur in ipsa formali exclusione omnis potentialitatis; Nam hæc sola opponitur perfectioni, quam actus purus dicit, depuratum ab omni imperfectione. Consequentia verò probatur, nam proxima radix immutabilitatis, est negatio omnis potentialitatis; sicut proxima radix mutabilitatis est ipsa potentialitas. Igitur, exclusâ à Deo per actum purum omni potentialitate, immediatè & per locum intrinsecum infertur immutabilitas. Antecedens probo, nam proxima causa, cur repugnet subiectum mutari, est ipsa repugnantia, seu incapacitas ad mutationem, quam incapacitatem formaliter importat exclusio ipsa totius potentialitatis.

11. Confirmatur: nam ea censenda est proxima causa effectûs, inter quem & causam ipsam nulla intercedit proximior: sed inter negationem totius potentialitatis & immutabilitatem, nulla intercedit ratio proximior: quia sicut inter mutationem & potentialitatem nulla intercedit proximior causa, cum nulla fingi possit proximior, quàm quæ inter actum & potentiam immediatè receptivam concipitur: ita neque inter negationem omnis potentialitatis & immutabilitatem: cum talis illatio procedat ex negatione potentiæ proximè receptivæ, ad negationem actus proximè receptibilis.

12. DICES, mediare necessitatem essendi, quæ si ab actu puro præcindatur, non erit radix immutabilitatis, ea verò subintellecta statim infert immutabilitatem: Esto igitur, actus purus immutabilitatem inferat, eam tamen non infert ratione sui, sed ratione necessitatis essendi, quam includit. Sed contrâ; nam adhuc præcisa & non intellecta necessitate essendi, intellecta tantum ratione actus puri excludentis omnem potentialitatem, necessariò infertur immutabilitas. Quod sic demonstro. Immutabilitas est incapacitas & repugnantia ad quamcunque mutationem: actus purus, etiam præcisa & non considerata necessitate essendi, est incapacitas & repugnantia ad omnem mutationem, quam formaliter importat negatio omnis potentialitatis: ergo intellecta sola ratione actus puri, & non considerata necessitate essendi, infertur immutabilitas. Maior & Minor patent. Consequentia verò probatur. Quia si ex ratione actus puri præcisè non sequeretur immutabilitas, posset concipi ratio actus puri cum mutabilitate: implicat autem concipere rationem actus puri cum mutabilitate: ergo immutabilitas necessariò sequitur ad præcisam rationem actus puri. Sequela patet, nam cum eantum ratione nequit alia ratio concipi, cum qua habet immediatam oppositionem, & cuius explicitus conceptus destruit explicitum conceptum alterius: cum enim tales rationes ita existant præcisè in mente, sicut existerent præcisè à parte rei, solum ea ratio non poterit mentaliter concipi cum alia, cuius explicitus conceptus unius nequit consistere cum explicito conceptu alterius. Er-

go si ex præcisa ratione actus puri non inferretur immutabilitas, posset ratio actus puri mentaliter consistere cum mutabilitate, quia tunc mutabilitas non destrueret immediatè rationem actus puri, sed solam necessitatem essendi, quæ cum actu puro non expressè conciperetur. Minor probatur, actus purus in sua explicita ratione, negat omnem potentialitatem: mutabilitas verò in sua explicita ratione dicit aliquam potentialitatem: igitur implicat, explicitam rationem unius mentaliter, & obiectivè consistere cum explicita ratione alterius: ergo ex sola & præcisa ratione actus puri infertur immutabilitas: nam ex ea ratione præcisè infertur immutabilitas, quam immediatè destruit mutabilitas.

13. Secundò, Probo eandem immutabilitatem, tanquam ex proxima radice inferri ex summa simplicitate, hoc pacto. Summa simplicitas, etiam præcisa necessitate essendi, explicitè negat omnem compositionem: Sed omnis mutabilitas explicitè importat potentiam ad aliquam compositionem: ergo ex summa simplicitate proximè infertur immutabilitas. Maior patet, quia sicut simplicitas explicitè negat compositionem, ita summa simplicitas omnem omnino compositionem; alioqui non esset summa, si non negaret omnem. Minor constat, quia mutabilitas dicit explicitum respectum ad mutationem: mutatio autem nequit concipi sine aliqua compositione: omne enim quod mutatur, necessariò componit cum ipsa mutatione. Consequentia verò probatur, nam ex ea ratione proximè pullulat immutabilitas, cuius explicitum conceptum destruit mutabilitas, ut ex dictis constat.

14. Tertiò: Quod ex infinitate essendi simpliciter immediatè inferatur immutabilitas, sic probo: Infinitas essendi simpliciter negat omnem terminum perfectionis possibilis: ergo vi huius Deus non solum est incapax cuiuscunque accrementi perfectionis, quam posset per mutationem acquirere, sed etiam cuiuscunque decrementi perfectionis, quam habet. Antecedens est ipse explicitus conceptus infinitatis simpliciter. Consequentia quoad priorem partem est evidens ipsis etiam adversariis: quoad posteriorem verò, quam ipsi negant, sic probo: Infinitas essendi simpliciter, adversariis etiam fatentibus, explicitè negat omnem terminum perfectionis, ratione cuius Deus est incapax accrementi perfectionis; sed si posset esse capax decrementi eius perfectionis, quam habet, eo ipso fieret capax accrementi eiusdem perfectionis, quam amitteret. Nam amittendo aliquam perfectionem, non amitteret capacitatem ad illam, ergo ex eadem radice, quâ Deus est incapax accrementi perfectionis, est etiam incapax decrementi eiusdem. Rectè igitur ex infinitate essendi simpliciter infertur immutabilitas in Deo, non solum quoad accrementum perfectionis, sed etiam quoad decrementum eiusdem.

15. Dico 2. Deus est immutabilis quacunque mutatione morali. Dupliciter intelligi potest hec mutatio moralis, vno modo per physicam mutationem actus, quo pacto nos moraliter mutamur ex vno actu in alium: & in hoc sensu assertio demonstrata manet ex præcedente. Alio modo sine vlla physica mutatione actus, per solam mutationem obiecti voliti: nam posito, quod Deus potest velle & non velle, quodcunque obiectum creatum sine physica mutatione sui actus, vt infra ostendam, difficultas insurgit, an Deus possit quod semel voluit liberè, non velle. Et ratio dubitandi est, quoniam ex hac mutatione nulla aut noua perfectio accrescit Deo, aut aliquid demitur de antiqua, sed solum mutatio fit in obiecto volito, vt quod ex vi prioris actus erat futurum, ex vi posterioris desinat esse futurum.

Gillius.

16. Gillius lib. 2. tra. 8. c. 10. putat ex hac præcisâ ratione, nisi alia circumstantia admisceatur, nullam fore imperfectionem in Deo, si, quod semel voluit, desinat velle. Quod etiam docuerunt aliqui Scotistæ, quos infra citabo, cum de actibus liberis Diuine voluntatis. Verum etiam in hoc sensu assertionem positam puto veram, & omninò sequendam. Fundamentum est, quoniam præcisâ omni alia imperfectione, sufficiens imperfectio foret diuinæ providentiæ, cōstantiæque repugnans, ipsa liberi actus mutatio: quia cum nulla posset Deo noua ratio occurrere, quam antea non præuidisset, ob quā prudenter posset priorem actum mutare, non posset absque vitio imprudentiæ atque inconstantia semel volitum obiectum nolle. Vnde longè dispar est ratio in nobis, qui, quoniam non omnia à principio præuidemus, prudenter possumus priorem actum in melius mutare.

17. Dices. Etiam Deus posset priorem actum vel in melius, vel saltem ad exercendam suam libertatem mutare: ergo ex hoc capite non incurreret vitium imprudentiæ vel inconstantia. Sed contrà, quia tunc potest quis absque vitio imprudentiæ suum actum in melius mutare, quando ratio, ob quam suum actum in melius mutat, aut non fuit præuisa, aut non attentè considerata: Deus autem omnia & singula ab æterno præiudicauit, & attentissimè circumspexit. Neque solum exercitium libertatis sufficiens est ad euitandum vitium imprudentiæ, aut inconstantia, quia tale exercitium semper debet esse coniunctum cum regula prudentiæ, cui non debet libertas præiudicare.

18. Ad I. rationem dubitandi, distinguo antecedens, transeunt personæ Diuinæ à non esse productæ ad esse productum secundum totum suum esse essentiale, nego: quia non transeunt secundum esse absolutum, quod essentiale est Diuinis personis: transeunt secundum esse relatiuum, & subdistinguo; transeunt cum indifferentia ad esse & non esse, & nego: transeunt cum omnimoda necessitate & determinatione ad esse, & concedo. Ergo mutantur. nego consequentiam: tum quia mutatio est transitus à non esse distinctum à mobili: per-

sonæ autem diuinæ procedentes, etsi distinguantur à personis producentibus; non tamen distinguuntur à natura, in qua subsistunt. Tū quia mutatio importat transitum forme, cum antecedente indifferentia ad esse & non esse. Personæ autem diuinæ producuntur cum omnimoda determinatione ad esse, quia producuntur cum summa necessitate, cum ea nimium, cum qua existit natura ipsa, quæ essentialiter postulat personas productas ob sui fecunditatem. Vnde neque etiam dici possunt transire à non esse relatiuum ad esse relatiuum, sed tantum produci secundum esse relatiuum; quia transire à non esse, denotat transitum ex nihilo sui: Diuinæ autem processiones, vt rectè adnotauit Scotus in 1. dist. 5. q. 2. ad argumenta, non habent terminum ex quo transeunt, sed solum principium, à quo emanant. Quapropter non dicuntur transire ex non esse sui, sed emanare de substantia producentis. Cuius ratio est, quia id tantum dicitur transire ex non esse ad esse, quod, quantum est de se, potuit non esse: personæ autem Diuinæ non potuerunt non esse.

Scotus.

19. Dices. Licet personæ Diuinæ procedentes non potuerint simpliciter non esse, tamen consideratæ ex se, sicut à se non sunt, sed ab alio, ita ex se non necessariò sunt, sed necessariò tantum ab alio. Resp. cum Aureolo in 1. dist. 8. p. 2. ar. 2. personas diuinæ procedentes ex se necessariò esse formaliter, quamuis non sint à se productiue. Non repugnat autem esse ex se necessariò formaliter, & ab alio productiue, quia potest esse aliqua ratio, quæ essentialiter petat esse, & tamen ab alio.

Aureolus.

20. Instabis: quod non est à se, sed ab alio, nequit ex se sibi determinare esse formaliter, quia vt determinet ex se sibi esse formaliter, oportet vt sit, quia prius res est, quam determinet sibi ex se formaliter esse. Ergo quod accipit ab alio esse, nequit ex se sibi determinare formaliter esse. Resp. Negando assumptum: ad cuius probationem, distinguo ly, oportet vt sit, vel in se vel in potentia, productiua sui, sufficit autem, vt esse relatiuum personæ procedentis sit in potentia actiua producentis, vt in ea sibi determinet formaliter esse necessarium.

21. Ad confirmationem nego consequentiam: & ad probationem, concedo antecedens de potentia actiua factiua, nego de potentia actiua purè productiua. Ratio discriminis est, quia potentia factiua habet pro termino aliquid distinctum ab ipsa natura producētis, quod vel educitur ex eadem natura producentis, vel ab illa realiter distinctum, debet passiuè terminare actionem agentis; Potentia verò purè productiua, qualis est Diuina productiua ad intra, non habet terminum distinctum à natura producentis, sed est idem omnino cum illa: Vnde neque ex ea deducitur, nec debet passiuè terminare originem producentis, quia productio non distinguitur à termino ipso producto.

22. Vtgebis, saltem illi respondet potentia producibilis in termino ipso, qui producitur, quia

quia

S. Thomas.
Scotus.

quia quod producit, possibile est produci: ergo saltem secundum istam potentiam dici potest persona procedens transire ab esse producibili, seu potenciali ad esse productum, seu actuale; Resp. Cum S. Thom. 1. p. qu. 41. articul. 4. & Scoto loco præcitato, in personis procedentibus dari potentiam producibilem, prout hæc dicit solam non repugnantiam cum esse, quo pacto dicimus possibile est Deum esse; non autem prout dicit indifferentiam ad esse & non esse: & consequenter ex hoc capite non repugnaret ista propositio: persona procedens transit ab esse producibili ad esse productum: repugnat tamen ex alio capite, tum quia Verbum *Transire*, vi suæ primariæ notionis importat antecedentem indifferentiam ad esse, & non esse eius termini, qui transit. Vnde multò minùs dici potest: persona Diuina transit ab esse potenciali ad esse actuale: quia hoc expressius significatur per ly *Potentiale*. Cum igitur persona procedens non contineatur in producente per indifferentiam ad vtrumlibet, sed per omnimodam determinationem ad esse: non potest dici, quod transeat ab esse potenciali ad actuale, tum maximè, quia, vt acutè aduertit Scotus loco præcit. persona Diuina procedens, actu, non potentiâ continetur secundum suum esse formale in persona producente, quia actu, non potentiâ continetur secundum esse essenziale sui, quod est esse absolutum naturæ, quæ dat esse formale omnibus personis. cum igitur esse absolutum naturæ sit esse formale atque essenziale personæ procedentis, & secundum hoc esse, actu, non potentiâ contineatur in persona producente: non poterit absolutè dici, quòd persona procedens transeat ab esse potenciali ad esse actuale. Eodem modo soluitur argumentum de natura Diuina, quæ nec propriè transit à non esse relatiuo personæ procedentis, ad esse relatiuum eiusdem: nec illud recipit per potentiam aliquam passiuam, sed per omnimodam identificationem.

23. Ad secundam rationem dubitandi, distinguenda est maior: nam actus liberi diuinæ voluntatis solum potuerunt non esse, quoad connotatum extrinsecum, ad actum libe-

rum essentialiter requisitum; non autem quoad aliquid intrinsecum, vt fusiùs infra.

24. Ad tertiam nego consequentiam: & ad probationem, distinguendum est antecedens: etenim nulla potest esse noua denominatio, sine noua mutatione in aliquo saltem extremo. Ceterum dicitur Deus in tempore de nouo Creator, Gubernator, Dominus, non per aliquam mutationem sui, sed per mutationem creaturæ, à qua extrinsecè Deus dicitur Creator, Gubernator, Dominus à creatione, gubernatione, & dependentia existente in creatura. Verùm si Creator, Gubernator, Dominus, non sumatur formaliter & denominatiuè, sed fundamentaliter; tunc dicendum est, Deum ab intrinsecò dici Creatorem, Gubernatorem, Dominum, ab intrinseca nimirum potestate creandi, gubernandi, dominandi, quam potestatem vt non acquirit in tempore, ita nec in tempore incipit denominari fundamentaliter Creator, Gubernator, & Dominus, sed ab ipsa æternitate.

25. Ex dictis deducitur, Immutabilitatem de formali importare negationem mutationis; de materiali verò & connotato, perfectissimum modum essendi, soli Deo competentem: quippe cum nulla creatura possibilis sit, cui præter potentialitatem à non esse ad esse, & ab esse ad non esse, aliqua non competat mutabilitas, vel secundum esse substantiale, vt substantiis incompletis; vel secundum esse accidentale; & hoc siue quoad accidentia connaturalia, à quibus pendet omnis substantia creata; siue quoad accidentia supernaturalia, ad quæ eleuari potest omne ens creatum sustentatiuum: vel secundum aliquam componibilitatem, vt accidentibus, & modis omnibus, quibus competit componibilitas cum substantia, aut fundamento. Vnde quò creatura magis recedit à Deo, eò est potentialior & mutabilior; quò verò magis ad Deum appropinquat, eò est actualior & immutabilior. Vnde, quia materia prima maximè omnium distat à Deo, est omnium mutabilissima, quia & subiectum primū totius sublunaris mutationis: Angeli contrà, quia inter cæteras res creatas proximè accedunt ad Deum, sunt inter omnes creaturas, immutabiliores.

DISPUTATIO VII.

De Æternitate Dei.



IMMUTABILITATEM sequitur Æternitas, vnde illam post immutabilitatem tractant Scholastici: quod enim est immutabile, nec incipere nec desinere potest, sed semper sibi ipsi vniformiter perseverans

nullis clausum durationis limitibus perenniter durat. Quocirca Patres Æternitatem cum Immutabilitate sæpe confundunt, vt legere est apud Augustinum 4. de Trinitate capite decimo octauo in fine: *Vera*, inquit, *immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est Æternitas. Ve-*

August.

rum ex